



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tulo, M. Antonio, C. Cassio, Bruto, Sext. Pompeio, aliisque, qui omnes montibus illis, quos congesserant, id est conatibus temerario ausu susceptis oppressi, penas dederunt.

VI. (f) Sextò, non injuria *δεσποχέτω*, seu cum Dijs pugnare dicuntur, qui per seditiones & motus intestinos, Principum ac Magistratum, qui Dijs nominantur in SS. litteris, auctoritatem, opes, eminentiam, postremo vitam eversum eunt; qui vel suis armis, quæ injustè in superiores arripuerant, confossi intereunt; vel à populari multitudine, quam ipsi ad sceleris Societatem & ministerium exciverant, cum res è voto non succedit, opprimuntur. Fulmen Jovis in Gigantes detortum, est vindicta divina à justissimo Deo de ijs sumpta, qui rebelles & contumaces vel in suam majestatem, vel in legitimè prapósitos improba moliuntur ac machinantur.

Hic adverte ansam Gigantibus arma in cælum moliendi præbuisse superum inter se discordiam, quare defuncti hoc periculo aram inter Aëtra statuere, flore ac lemniscis redimitam, ardente flamma; in quam ita lusum:

Anguipedes postquam, perjura caterua, gigantes
Montibus exusti succubuere suis.
Hanc aram statuere Dij, cum mutua pacti
Foedera, juratas conservere manus.
Si prius in superis concordia tanta fuisset:
In Superos nullus verteret arma Gigas.

SYMBOLUM X.

Lycaon in lupum abit; ejus filia Callisto in ursam.

1. & 2. *Metam.*

Ethicè.

1. Homo similis bestiae. 2. Tyranni imago. 3. Gulosus & avarus. 4. Physiognomia causam præbit Poëtis fingendi metamorphoses.
5. An fiat mutatio hominis in bestiam? 6. Quid intelligatur per has metamorphoses Pœticas? 7. Callisto cur in ursam?

Fuit vir hic Arcadiæ rex, qui ob impietatem, perfidiam, inhospitalitatem in lupum transformatus est. Res ita contigit. Jupiter Deorum

(f) *Seditiones in magistratum.*

F 2

rum

rum supremus multa de generis humani improbitate inaudierat; quippe Gigantum propago, contemptrix Superum, sanguine & cædibus omnia miscuisse ferebatur. Igitur consilio cum cœlicolis habito, constituit ipse, relicto olympo, in terram descendere, & certius, quæ spargebat fama, cognoscere. Jam cum Mercurio, quem comitem itineris assumpserat, peragratis aliquot regionibus, in Arcadiam devenerat, & ad ipsam ad eam Lycaonis regiam. Abjerat in crepusculum dies, & cœlestes viatores, tametsi mortali habitu incederent, non obscura tamen divinitatis indicia præferebant. Plebs altiore pietatis sensu commota, ad vota cepit & Sacrificia dijs facienda se accingere, irridet simplicem credulitatem Lycaon, jactatque, se ea ipsa nocte de hospitem conditione periculum facturum. Itaque tecto receptos, ut profundius indormisse credidit, adrepit ad lectum, conaturque sopitos opprimere. Id cum non successisset, insidias alia via aggressus arripit unum ex obsidibus à gente Molossorum ad se missis; hunc jugulat: partimque assum, partim elixum Dijs epulandum apponit. Tantam indignatus immanitatem Jupiter, regiam tyranni immisso fulmine exurit, ipsumque in silvas fugientem, transformat in lupum.

Colligit os rabiem: solitaque cupidine cædis
 Utritur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet;
 In villos abeunt vestes, in crura lacerti;
 Fit lupus, & veteris servat vestigia formæ,
 Canities eadem est, eadem violentia vultus,
 Iidem oculi lucent; eadem feritatis imago est.

Ethica.

I. (a) In eam scilicet feram abiit Lycaon, cujus mores jam antè præferebat. Inrita feritas lupum effecit, antequam formam sumeret lupinam. S. Chrysostomi hom. 1. In Joannem, dictum est: In tot bestias migrat homo, in quot vitia à virtute descedit. Quod quantum sit malum, Tullius declarat, quem laudat Lactantius lib. 1. c. 11. Præclare, ait, Cicero dixit: Si nemo est, quin emori malit, quàm converti in aliquam figuram bestia, quamvis hominis mentem sit habiturus; quantò est miserius in hominis figura, animo esse efferato. Quod Severinus Boëtius fusiùs prosequitur lib. 4. de consol. philosoph. prosa 4. Evenit igitur, inquit, ut quem transformatum vitij videas, hominem existima-

re

(a) Homo similis bestia.

re non possis. Avaritiâ fervet, alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigijs exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exaquetur. Irâ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax metuenda formidat? cervis similis habeatur. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis, immundisque libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. Hæc ille.

II. (b) Lycaon, uti prius humanum, ita postea pecudum, præsertim ovium, sitiebat sanguinem, quod proprium tyrannorum est, in eos potissimum sævientium, qui maximè sunt innocentes. In adagijs est, *suade lupis ut insaniant*; rabiunt ultro. Quibus similes illi, quos conjuncta cum impietate crudelitas, in Divos, hominèsque incitat & immittit. Talis lupus Herodes fuit Ascalonita, qui Deum ipsum mactaturus, tot millium infantium cæde, rabiem suam non tam exsaturavit, quàm irritavit. Tales sunt, omnes illi sanguinis humani helluones, quorum in vultu truculentia, in oculis rabies, in pectoribus furor, in manibus violentia sedem fixit; qui nunquam non spirant iras, anhelant cædes, & si non cruentam sicam, certè sanguinariam semper voluntatem gerunt. Agunt hoc tyranni, quod lupus in apologo. Ad profluentem levandæ sitis causa fortè convenerant lupus & agnus. Ille mox jurgij occasionem arripiens, quærit minitabundus, cur sibi aquam turbasset. negat agnus id fieri potuisse, cum ab ipso superius consistente, ad se inferius stantem, rivus delaberetur. Repulsus veritate lupus, ante sex, inquit, menses maledixisti mihi. Respondet agnus, se eo tempore necdum natum fuisse. Instat lupus: at pater tuus in me fuit maledicus: & cum dicto, corripuit innocentem, atque in frustra discerpfit. Sed denique hic Lycaones scelerum suorum conscientia exterriti, sese ipsos fugiunt, non effugiunt tamen, exagitante eas vindicta divina, & inter mille terrores, velut inter silvarum bestias circumagente. Cætera animalia à genere suo temperant; at *homo fit. homini lupus*, & in naturæ consortem sævit.

III. (c) Luporum tanta esse dicitur ingluvies, ut, etiamsi saturi sint, ad occursum tamen prædæ statim egerant, vel evomant, quod ingesserunt, ut vorare possint. Quid quod, teste Aristotele, hoc animal comedit non masticando cibum, sed devorando & glutiendo, unde tan-

F 3

tum

(b) Tyranni imago. (c) Gulosus & avarus.

tum abdit in ventrem uno tempore, quantum ei in triduum sufficiat. En Symbolum hominis gulosi, avari, violenti.

IV. (d) Liceat hinc non nihil in signa Physiognomica excurrere, & à bestiis conjecturam de homine sumere, quæ causa inter alias fuit, cur Poëtæ transmutationes varias animalium, & aliorum in alia immigrationes excogitaverint. De his Carolus Scribanus vir eruditissimus in Politico-Christiano. lib. 2. cap. 5. Hic canino, inquit, vultu est, & domino suo fidus: iste lupino, non induet mansuetudinem, crudelem exspecta, & sanguinis avidum: alius asinino; & pingui gaudet otio, & stolidam ferè mente est: leonino alius, & explicato pectore, & generosamente est: nulla hunc humilia & fordida, delectant ardua & magna: præfert alter mulum, & recto vultu, immota cervice, in utrumque latus oculos circumfert; astum, malignitatem, & calces vertere, ubi tutissimum te arbitratus fueris: taurum alter; & dura cervice est, & flecti nesciã: cervum alter; fallit decor nihil in hoc excelsi animi, timoribus natat, & fugæ aptior, quàm bello: leporem nonnulli; solis pedibus se tuentur, semper pavidi: aprum nonnemo; ferociam & sordes reperies: quid? quod & ursum; deturpant hunc pili & libido, etiam ovem; simplicitas hunc vestit, & stupor. Equum referunt non pauci; quorum generositatem, ambitionem ignaviam è varia vultus formatione discas: alij simiam; dolos in his reperies & adulationes: quidam avium quarundam lineamenta ostendunt: etiam mores metu, suspitione, inconstantia plenos. Sed & aliquid è serpente in nonnullis invenies, venena etiam & insidias, insidiam ac intutam mentem, nullis beneficiis vincendam, nec pauca in quibusdam è felibus; unguis cave, nec fortunas crede. Sunt, qui vultu mulierem mentiuntur; nihil in his virum sapit, ingenium vultui respondet, narrandis quàm gerendis rebus magis idonei. Hæc ille.

Humani corporis partes speciatim prosequitur Aristoteles in Physiognomia c. 9. & 10. alibi que, qui ducta similitudine hominis cum varijs animantibus, parili que corporis conformatione, similes quoque mores & affectiones animæ auguratur; adeo, ut si quis corporis compositione, orisque filo leonem referat, generosum ipsum pronuntiet: si asinum capitis crassitie, eum stupidum affirmet: si capite pineato seu acuminato, quale upupæ est, stolidum & imprudentem dicet, ut Thersites ab Homero describitur; si orbiculato & extantibus oculis, noctuis & bubonibus simili, tanquam indocilem, obtusum, noctis & somnolentiæ
amicum

(d) Physiognomia causam præbuit Poëtis fingendi Metamorphoses.

amicum damnabit; Si nimis parvo, referet ad bubalum, quod est exilis capitis, animal ferox & impotens sui; item ad camelum aut struthionem, stolidia animalia; item ad vulpem, quacum comparatus homo aliquid astutiae, sed modicum prudentiae habet, ob paucitatem cerebri in minuto capite locum non habentis. Si faciem carnosam habet, referet ad bovem, & segnem ac tardum conijciat; si valde parvam, catto & similia comparabit, ridiculumque & pusillanimum asseret; si frontis angustae erit, imperitiam & stoliditatem ei objectabit, & ad suam referet, animal stolidum & indocile, quod nunquam erigit caput, nisi forte cum mactatur, & tunc rei novae insolentia stupet. Hinc illud: *Sus Minervam*. si prominentioris, sagacem a similitudine canis dicet; si valde lata, bovi assimilabit, & torpidum conjectabit; si magnae & carnosae, stuporis asinini arguet: unde veteres stolidum hominem per truncum humanum asini capite superimposito significabant. Si frontis ad amussim quadratae, mediocris, & in medio aliquantum subconcaevae, ingeniosum & magnanimum putabit, nam talis ad frontem leoninam accedit; si protensa & tranquilla, adulationis insimulabit, quales sunt canes domestici, qui assentantes frontem explicant; qui torvae & nebulosae, audacem & iracundiam ominabitur, qualem habent tauri. Idem indicium ducit e collo crassiore; quod si vero sit tenue, prolixum, erectum ad cervicem referet, & timidum appellabit; si brevius, voracitatis arguet, & ad lupos rejiciet, quorum colla tanta brevitate contrahuntur, ut non nisi circumacto corpore retrò contorqueri possint; si collum sanguineis intumescat venis, iracundiam Philosopho signabit, qualis inest gallis Numidicis seu Indis; si plenum erit & rotundum, nec in medio concavum, manduconem notabit de porcino genere; si tenue & longiusculum, bibonem notabit, & Philoxeno similem, qui gruis sibi collum optavit; cervicem vero pilosam & hirsutam, fidentem & fortem credet, leonique conferet. Cui humeri sunt lati, magni distantes laboriosum & robustum ab armis taurinis judicabit; Motus humerorum & curvitas eidem generositatem designat. Quod ipsum pectore amplo significatur, quali praeditus erat Achilles Graecorum fortissimus; gracile vero & imbecille pectus cervinam timiditatem indicat; pilosum, robur & vires urfi; rubescens, iracundi est argumentum. Cui nasus crassior, hebes est, & ad fues accedit; cui acutior & oblongus, is Aristoleli contenosus videtur, & canibus similis, qui acutas habent nares, & in ipsam lunam ringuntur; pinnulae nasi crassiores pigritiam bovinam innuunt; amplae & rotundae,

tundæ, leonibus comparantur, & molossis, procliviores ad iram; qualis Scipio Nasica fuit, qui cognomen inde hausit, quod ipsum patularium latitudine denotatur: itémque nasò rotundo, cuius extremum obtusius; cui nasus subtilior, defultorius est, & avibus assimilatur. Cui nasus à fronte mox diducitur, inverecundiæ & rapacitatis signum præbet, atque ad vultures & cervos refertur, cui concavus & ante frontem rotundus est, ad cervi intemperantiam reijcitur; cui nares apertæ, ursi naturam & iram præfert, de quo Martialis monet, *fumantis nasum ne tentaveris ursi*. Cui nasus simus, hoc est, in medio depressus, qualis est simiorum & canum, is Philosopho censetur pronior ad intemperantiam, irritabilis ad iram, infidus ad amicitiam. Si nasus longior, & ad os productior, sagacitate pollet, ut catelli Laconici, aut canes Gallici, odori sive odorisequi, indagandis feris excitati. Cui nasus aduncus seu aquilinus, in medio clementer assurgens, à Græcis Grypus appellatur, Symbolum animi magni, liberalis, & prudentis in facie circumfert, quali naso fuit Apostolus Paulus, de quo Nicephorus lib. 2. c. 7. Paulus corpore parvo, contracto, & quasi incurvo atque paululum inflexo, capite modico, supercilijs deorsum vergentibus, barba densiori, naso pulchrè inflexo. Grypus fuit Cyrus rex Persarum, longè laudatissimus, unde apud Persas mos inolevit, ut neminem nisi Grypum ad imperij dignitatem eveherent. Frequens nictatio oculorum, sicut etiam os parvum, timiditatem leporinam denotat; inconnivi oculi magnanimitatem leoninam; parvitas oculorum astutum & vafum, vulpi similem. Ingentes oculorum fenestræ melanurum piscem referunt, pigrum & timidum; magna pupilla hebetudinem noctuæ de die: parva, qualis serpentis & simiæ, ingeniosum & astutum; oculi concavi & in orbem reducti aquilinam aciem & acumen ingenij ostendunt; id quod etiam celeritas motûs oculorum tacendo loqui videtur, & tarditas stupiditatem. Fetus, qui alterum oculum minorem habet, mollius aliquid de hircio præferre putatur; castus, qui oculis est caruleis seu glaucis, qualibus est capra prædita, amicior Minervæ censetur, Musarum Deæ, quæ ab Homero γλαυκῶπις, hoc est, oculos habens glaucos, appellatur. Hæc & plura Aristoteles, aliique Physiognomi, de quibus doctè & eruditè in sua Physiognomia P. Horatius Nicquetius S. J. Non quòd indubitata hæc signa sint mentis bonæ, malævæ; sed quòd pronitatem quandam naturæ corporisque designent. Assimilantur enim, ait Scribanus loc. cit. exteriora internis, ut hederam illa credas postibus defixam, vino vendendo,

dendo, cellisque recondito. Ita ferè in vultu mentem corpore reconditam, clausamque, tanquam in speculo legas, ut totum hominem, animamque totam in vultu posuisse natura videatur. Scio dictum: *Fronti nulla fides.* Quod ut in adultioribus non negem, inquit memoratus Scriptor; in pueris tamen vix mentiri potest. Est tamen educatio altera & potentior natura, præsertim si è celo accedant auxiliares virtutum copiarum. Benè Cicero lib. 1. de Orat. *Qua bona sunt, meliora fieri possunt arte; & qua non optima, acui tamen & corrigi possunt.* Socratem ferunt vultu notam intemperantiæ prætulisse, sed arte & virtute vicisse naturam; unde dixisse memoratur: *Talis essem, si Philosophus non essem.* Egregiè ad hunc locum Tullius in Tusculana. 1. *Similitudo magis apparet in bestiis, quarum animi sunt rationis expertes; hominum autem similitudo in corporis figura magis extat; & ipsi animi, magni refert, in quo corpore locati sint, multa enim à corpore existunt, quæ acuant mentem, multa quæ obrundant.* Hæc ille.

Nobis sufficit hic ostendisse, Poëtas Metamorphoses suas introducendi ansam non ex sola fingendi libidine, sed ex arcaniore naturæ scientia fumpisse.

V. (e) Quoniam verò in hoc libro sæpius occurret hominum in bestias mutatio; nec desunt, qui putant hanc conversionem verè accidere, duximus aliquid super hoc argumento paucis differendum. M. Varro narrat, Arcades transnatasse stagnum quoddam, atque in lupos commutatos, inter feras, per illius regionis deserta, vixisse, etsi carne humana abstinerint; decursu novem annorum spatio, eodémque rursus tranato stagno, in homines reformatos esse. Mira hujus rei testimonia refert Olaus Magnus Archiepiscopus Upsalensis. Inter alia scribit, ab hujus generis lupis ædificia in silvis oppugnari, fores effringi, obvia quæque prosterni, dilacerari, devorari, cellaria intrari, vino cerevisiæque ingurgitari. Et P. Georgius Stengelius recenset Tom. 2. de Judic. divin. cap. 60. Serenissimo Archiduci Carolo immanem quendam ursum jaculatu plumbeæ glandis petenti vocem redditam femineam, *va mihi,* reperisse; deinde ursum in anum conversum, globi jctu interemptam. Et tempore tumultus rusticorum in superiore Austria, quidam è rebellium ductoribus magus, se in arboris truncum convertit, acclinantique se ad illum bajulo vitriario, repente fulcrum subduxit, vitra fregit; iterumque mutatus in hominis figuram, lamentantemque consolatus, in bovem se vertit benè pastum & nitentem, seque vendi permisit; reparat dam-

G

nurs

(e) *An fiat mutatio hominis in bestiam.*

num vitrorum institor: Ianio emptum bovem in stabulum abduxit, fecum apposuit; bos pulmentis se vesci ait; dum Ianius attonitus currit, & arrepta bipenni ad prodigiosam pecudem recurrit, nihil præter funem reperit, quo se suspenderet, si pendere liberet. Taceo plura horum similia & causam inquiri metamorphoseos. Imprimis talia dæmonis ope & arte facta esse, negari non potest; non quod orcinus artifex hominem in veram belluam, vel belluam in hominem convertere queat, cum anima humana interitui non sit obnoxia; nec ea possit informare corpus belluinum, convenientibus scilicet tam nobili spiritui dispositionibus & organis destitutum.

Igitur transformationes, quas oculis mortalium veterator obijcit, delusoriae sunt, deceptio, fascinatio. Aliquando acheronticus nebulo magos & sagos aliò transportatos, vel domi relictos, altissimo somno confopit, insomnioque deludit, ut putent se ibi esse, ubi non sunt, & ea agere, quæ non agunt; cum interea ipse vel corpus lupi, ursi, capri &c. ex aère, aqua, aliisque materia formatum assumit; vel verum lupum, ursum &c. impellit, agit, excitat, trahit, ducit; vel in eo ipse facit, quæ sibi magi dormientes videntur facere. Quid quod ex humorum vitio, & atra bilis excessu phantasia nonnunquam ita mutatur, ut nonnulli tristitiâ efferati, putent se in bestias esse commutatos, induantque affectus lupinos, odiûmque gregis, aut hominum, ac proinde etiam desiderium eos invadendi, lacerandi, vorandi. Quem affectum medici *λυκάωνα*, *λυκαενδεσπίαν*, latinè *insaniam lupinam*. Sic Ajax emotus mente in pecorum gregem sævijt, Vlysem se putans discerpere. Potest etiam Panurgus stygius oculorum species seu simulacra corrumpere, aut eas per corporis alicujus interpositionem, vel per nimiam aëris agitationem impedire: aut formam objectam aliqua ratione vestire, ut non videantur proxima: aut si videntur, monstrosa appareant.

VI. (f) Quare fabulis accense Apuleium, in asinum migrantem, & Lycaonem in lupum, aliòsque in alias bestias conversos. Quanquam, uti diximus, sæpiùsque dicemus, sub ejusmodi fabulosis involucris multa ad mores spectantia viri doctissimi exprimere, & veluti hieroglyphicè depingere voluerunt. Nam, uti supra indicavimus, cum Lycaon in lupum abiisse dicitur, significat feram regis illius crudelitatem, qua adventas & hospites immani scelere trucidavit. Hecubam Priami regis uxorem grandævam in canem mutatam perhibent. Cur? quia malorum pondere pressa, & oppressa, rei que indignitate victa, victores Græcos

con-

(f) Quid intelligatur per metamorphoses Poëticas.

convitiatorum & maledictorum aculeis momordit, proscidit, dilaniavit. Midæ aures in asininas migrasse diximus; quò depravatum aurium iudicium, & stolidæ præcordia mentis insinuantur, qui Panis Fistulam solus omnibus dissentientibus citharæ Apollinis, hoc est, iniqua æquis, mala bonis solebat anteferre. Hæc clariùs patebunt ex ijs, quæ porrò in explicatione fabularum prosequemur.

VII. (g) Hic loci adjuncta Lycaoni est filia sua *Callisto*, quæ comes fuit Dianæ, & nomen à *pulchritudine* accepit. Quæ cum à Jove vitata fuisset (nam hujus deorum Rectoris flagitia passim traducuntur à Poëtis, ut significarent, cum magna fortuna plerumque magna vitia juncta esse) Dianam, quippe integritatis studiosissima, tantum abominata scelus, eam è consortio suo repulit. Non minùs detestata pellicem Juno, eam commutavit in horridam *ursam*. Poëtam audiamus; Juno furens ait:

Haud impune feres: adimam tibi namque figuram,
 Qua tibi, quaque places nostro importam marito.
 Dixit, & arreptam prensis à fronte capillis,
 Stravit humi pronam, tendebat brachia supplex:
 Brachia cœperunt nigris horrescere villis,
 Curvarique manus, & aduncos crescere in ungues,
 Officiòque pedum fungi, laudatæque quondam
 Ora Jovi, lato fieri deformia rictu:
 Nevè preces animos, & verba precantia flectant,
 Posse loqui eripitur! vox iracunda, minaxque,
 Plenæque terroris rauco de gutture fertur.
 Mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursâ,
 Assiduòque suos gemitu restata dolores,
 Qualescunque manus ad cœlum & sidera tollit.
 Ingratùmque Jovem nequeat cum dicere, sentit.
 Ah, quoties solâ non ausa quiescere silvâ,
 Ante domum, quondamque suis erravit in agris?
 Ah, quoties per saxa canum latratibus acta est,
 Venatrixque metu venantùm territa fugit?
 Sæpe feris latuit visis, oblita quid esset,
 Vrsæque conspectos in montibus horruit ursos,
 Pertimuitque lupos, quamvis pater esset in illis.
 Ubi nota quædam ad moralem doctrinam pertinentia. r. Juno, Ze-

G 2

lory-

(g) *Callisto Lycaonis filia cur in ursam?*

lotypia fervens, arripuit pellicem crinibus, quibus promiscue viris placere studebat. 2. Strauit eam humi, pugnis contudit, pedibus protrudit altiùs sese efferentem. 3. In bestiam pilis & pelle horrentem, convertit, quæ venustate formæ luxuriabat. 4. *Mens antiqua mansit* in Callisto; nam mutatâ figurâ, conscientia nihilominus stimulis exagitabatur & urforum ac luporum spectris, terrorum, inquam, phantasia, & animi perturbantium percellabatur. 5. In quibus peccavit, in ijs est punita; pro flavis cincinnis, nigros & horridos villos induit. Pro manuum & pedum gesticulationibus, deformes & sævi unguis succreverunt; pro faciei elegantia subjerunt rictus aspectu terribiles. Et vox illa blanda, suavisque, in fremitum, & murmur horrificum mutata est. 6. Et illi, quos antea in oculis & in sinu ferebat, amatores scilicet libidinantis formæ, jam quales occurrebant? urforum ac luporum specie. In hæc monstra vertuntur primæ lascivi amoris blanditiæ. 7. Et tamen inter sidera locus huic adulteræ datus est à Jove. Nempe scelus cum autorem vel adiutorem haberet illustrem, felix putatur. 8. Callisto nomen in cælo mutavit, & *Arctos*, seu *Vrsa major* (Græcis *Helice*) appellata est. Sæpe quidem mutato crimina palliantur nomine, sed non extinguuntur. Haud ignoravit Thetis, maris dea, sideris hujus adulterinos radios, non permisit *Vrsam* cœlestem æquore tingi (id est, aliorum instar astrorum occidendo, sese undis mergere) ne scelerato contactu inficeretur aquarum puritas. Adeò detestanda sunt flagitia ipsis etiam elementis, ut, si rerum omnium supremus moderator annueret, *Orbis terrarum pugnaret contra insensatos*, id est, sceleribus contaminatos, aut si mollius loqui placet, *illustres*, qualis inter astra Callisto fulget. Quid quod *Vrsa* quoque Minor (quæ *Cynosura* appellatur) è Jovis nutricibus fuisse dicitur. Natalis Comes lib. 2. cap. 1. ideòque cælo recepta, in quam ingeniosè quidam lusit:

Hirsutos effata sinus, scabramque papillam

Gnosia lactenti præbuit *Vrsa* Jovi.

Hinc tenuit primam prima inter sidera sedem,

Navibus irato suspicienda mari.

Sit vilis, sit inops, sit agresti agrestior *ursa*,

Quem regum extollit gratia, siduserit.

Huc facit, quod de *Arcturo*, seu *Arctophylace* sive *Bubulco* *Vrsæ* majoris custode canitur:

Quid facit iste boum sacra inter sidera ductor?

Aula Deum caula est? arua per astra colit?

Callisto

Callisto hunc pellex genuit: rigidumque procaci
 Custodem matri praposuere Dij.
 Lubrica res mulier. Rigido custode remoto
 Casta nec in caelo vivere posset Helix.

SYMBOLUM XI.

Homines è lapidibus orti.

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Tutela probitatis. 2. Cognitio sui. 3. Homo lapis. 4. Ho-
 mini laborandum. 5. Informatio ad humanitatem. 6. Præ-
 mium probitatis.

Diluvio universali genus omne hominum, demptis illis, qui cum Noacho in *arca* servati fuere, divinæ ultionis immisso interiisse, sacra testatur historia Gen. 7. Neque homines duntaxat, sed animantia pariter rationis expertia illo cataclysmo perierunt. Causa tantæ cladis extiterunt scelera, quæ magis quam aquæ terrarum orbem inundarunt. Neutrum hoc Poëtas latuit, qui, quod subinde monebimus, è quadam divinarum litterarum umbra ansam figmentis suis arripuerunt. Accipe fabulam, & lapideam hominum originem.

In horrenda illa, communique terrarum eluvione Deucalion, Promethei filius, Thessalorum rex, vir pietate præstantissimus, mira Deorum protectione servatus est. Nam cum aquarum impetus omnia obrueret, & ipsa quoque montium cacumina superaret, ipse cum uxore Pyrrha conscensò jam ante parvò navigiò (in quod parentis monitu necessaria comportarant) ad montem quendam in regione Phocide delatus est; qui quòd ibidem *Λαπῆας* seu *arca* aut *ratis* Deucalionis appulsa esset, initiò *Larnassi*, postea *Parnassi* nomen obtinuit. Quo in loco, in montis culmine constituti, terræque ac sædam rerum faciem conspicati, tantam hominum stragem miserantes, suamque solitudinem deplorantes, Numina loci cum alia, tum imprimis Themidem, comprecati, & sciscitati sunt, qua ratione genus humanum, quod jam exceptis duobus illis, interierat omne, reparari posset; id responsi tulerunt, ut uterque velati caput, Magnæ matris ossa retro jacerent. Cujus obscuritate oraculi cum